

II. Ac primò quidem loco caulis anserini vesicæ orificio inferuimus canaliculum ligneum torno factum OM, infernè ad M valvulâ coriaceâ sive

Fig: 34.



ventili, quod vocant, instructum, introrsum scilicet patente, extrorsum verò viam aëri occludente; quo pacto incommodum illud declinavimus, quod in simpliciore apparatu haut parum molestiæ nobis creaverat, ut scilicet aër vesicæ inflatus, cum hæc interim ab appenso pondere validè traheretur, in os expirantis subito regurgitaret, sæpe cum ingrato quodam foetore, nec sine difficultatis augmento in attollendo pondere. Nunc autem, quando flatus primus à valvula coërcetur, quominus retrogredi valeat, unus alterque porro superadditus totam vesicam facilè sic adimplent, ut

Phæn. I.

hæc notabiliter decurtata pondus infernè ex unco ferreo Q (qui forcipis instar columellam ligneam vesicæ fundo circumligatam in P apprehendit) suspensum facilè adducat; prout certè talis machinulæ auxilio, qualem hîc depictam exhibemus, 36. librarum pondus, quod commodum ad manus fuerat, quivis ex nostro coetu etiam debilioris pectoris oris solo flatu promptè sublevabat.

III. Quemadmodum autem jam antehac simpliciorem hanc machinam vesicariam accommodaveramus trochleæ sextuplicatæ, & sic viribus compositis multò plus ponderis flatu oris suspenderamus (prout sub finem alleg. Auctarii X. pluribus dictum est;) sic ejusdem ad veterem longiorem applicatione aliâ vice centenarium integrum sustulimus,